

CASUS MORALIS

DE STERILIZATIONE

ANNA coniux, valde debilitata in sua physica conditione ob fluxum sanguinis excessivum occasione singularum menstruationum evenientem medicum adit consilii capiendi causa. Medicus, satis attente explorato statu physico Annae nimis debili, mulieri infirmae consulit unicum efficax remedium ad vires corporis recuperandas esse ovulationis impeditionem ope radiorum a Röntgen nuncupatorum. Simul autem Annam monet ipsam tali cura in posterum sterilem effectum iri. Cui medici consilio Anna ob bonum salutis consensum praebet, inmo et gaudet quod consequenter a molestiis graviditatis et puerperii liberabitur.

QUAERITUR

- I. Quid sit sterilizatio.
- II. Quibusnam principiis moralibus sterilizatio regatur.
- III. Quid ad casum.

SOLUTIO

AD I. Sterilizatio late sumpta est species quaedam mutilationis ac potest dici actus qui violat corpus (humanum) in organis genitalibus, ita ut inde homo incapax efficiatur ad filios procreandos. Actus iste potest consistere in totali vel partiali organorum genitalium amputatione vel in quadam laesione quae ipsorum genitalium organorum specificam operationem seu functionem irritam ac vanam redigit. Amputatio sive totalis sive partialis organorum sexualium proprio nomine castratio vocatur atque fit in maribus abscissione testiculorum, in feminis vero exstirpatione ovariorum vel uteri. A castratione distinguitur simplex seu stricte dicta sterilizatio, qua homo, glandulis germinativis non sublatis, impotens redditur ad generationem. Quae generandi impotentia variis modis induci potest, scilicet:

(a) *mediis chirurgicis*, specie per vasectomiam in viris, qua, sectis vel ligatis canalibus deferentibus, omnis communicatio testiculorum cum membro genitali impeditur, ita ut semen humanum a testiculis et epididymis in ductum eiculatorium iam transmitti nequeat; necnon per oophorectomiam (salpingectomiam, fallocetomiam) in mulieribus, qua, sectis vel ligatis oviductibus, communicatio ovarii cum utero obstruitur,

ita ut nec ovulum ex ovariis in uterum nec virile semen ex vagina et utero ad ovaria transire queat;

(b) *mediis chemicis*, nempe per inductionem determinatarum materialium chemicarum vel bio-chemicarum in organismum, quae testiculorum vel ovariorum functionem generativam destruunt vel impediunt;

(c) *mediis physicis* seu per applicationem ad glandulas generativas radiorum X seu Röntgen, elementi 'radium', etc., quibus naturaliter ordinata functio organorum sexualium procreativa exstinguitur vel interrumpitur.

Sterilizatio, quomodocumque inducta, a theologis communiter distinguitur in *directam* et *indirectam*.

Sterilizatio *directa* habetur 'quando ipsa sterilitas qua talis seu impotentia generandi est obiectum actionis ex fine sive operis sive operantis'.¹ Talem sterilizationem aliqui 'contraceptivam' vocant.²

Sterilizatio econtra *indirecta* locum habet 'quoties praeter effectum impeditionis prolis, non intentum, habetur alius effectus intentus et non mediante impeditione prolis obtinendus'.³ Hanc sterilizationis formam plerique 'therapeuticam' nuncupant.⁴

Item sterilizatio esse potest *perpetua* vel *temporanea* prout actio posita subiectum in perpetuum vel ad tempus facultate filios procreandi privat.

Tandem sterilizatio contingere potest *auctoritate privata* vel *publica*, quatenus ab individuo propria auctoritate suscipitur vel ipsi a publica

¹ Aertnys-Damen-Visser, *Theologia Moralis secundum doctrinam S. Alfonsi de Ligorio Doctoris Ecclesiae* (edit. 17a, 1956), tom. I, n. 568. 'Sterilitas' ibi notatur 'vi vocis includit respectum ad prolis impeditionem ita ut haec necessario ex fine sive operis sive operantis intendi debeat, ut habeatur sterilizatio *directa*'.

² Cf. T.J. O'Donnell, *Morals in Medicine* (second revised and enlarged edition, The Newman Press, 1960), p. 79: 'A procedure is said to be contraceptive when a generative organ is removed or its function suppressed in so far as the organ is a medium of generation, and for the purpose of destroying its generative function'.

³ Aertnys-Damen-Visser, l.c.

⁴ Cf. Mc Hugh-Callan, *Moral Theology* (Wagner Inc., New York; Herder, London, revised edition, 1960), vol. II, n. 1869.

T.J. O'Donnell, l.c., his verbis sterilizationem therapeuticam describit: 'A procedure is said to be therapeutic when a generative organ is removed or its function is suppressed in so far as the organ, precisely as part of the body, is destructive of the good of the whole body'.

potestate imponitur: quo in altero casu, si per modum poenae infligitur, *punitiva*, si vero tamquam medium impediendi generationes infirmas vel noxias iniungitur, *eugenetica* appellatur.

AD II. *Principia moralia de sterilizatione*

(A) Sterilizatio directa sive perpetua sive temporanea est intrinsece et graviter illicita ex quocunque fine et quidem sive auctoritate privata sive publica fiat, excepta forsitan, saltem theoretice, sterilizatione punitiva.

Demonstratur principium per partes:

(i) Sterilizatio directa privata auctoritate suscepta est illicita. Ratio est quia homo in membra proprii corporis non habet dominium plenum atque perfectum sed tantum utile ac propterea ipsi competit tantummodo facultas propriis membris utendi in ordine ad naturales ipsorum fines, non autem ea destruendi vel mutilandi vel inepta ad naturales eorum functiones reddendi, nisi agatur de tuendo bono totius corporis, quod aliter provideri nequeat. Iamvero bonum totius corporis sterilizatione directa adaequate non providetur: nam impeditio prolis quam directa sterilizatio intendit neque vim habet sanandi corpus neque praesens periculum a corpore avertit. Immo sterilizatio directa nec potest dici necessaria, quoniam periculum futurum, quod ex prole nascitura forte timetur, sat valet abstinentia praecaveri. Demum sterilizatio directa maxime contrariatur bono speciei, ad quod organa generativa praecipue ordinantur quodque bono hominis individui praeeminet.

Quod confirmatur doctrina Ecclesiae. Proposito enim Supremae Sacrae Congregationi S. Officii dubio: 'An licita sit directa sterilizatio sive perpetua sive temporanea, sive viri sive mulieris', Emi. ac Rev.mi Patres DD. Cardinales rebus fidei ac morum tutandis praepositi respondendum decreverunt: 'Negative, et quidem prohiberi lege naturae...'.⁵ Et Pius PP. XII docuit sterilizationem directam constituere gravem legis moralis violationem.⁶

(ii) Sterilizatio directa a publica auctoritate ob rationes quas vocant eugenicas imposita est quoque graviter illicita. Ratio est quia ius matrimonium contrahendi et prolem procreandi aequae ac ius in vitam et

⁵ Die 24 Feb. 1940; AAS 32 (1940), 73.

⁶ Cf. *Allocut, ad Obstetrices* (29 oct. 1951); AAS 43 (1951), 844: 'La sterilizzazione diretta = cioè quella che mira come mezzo e come scopo a rendere impossibile la procreazione - è una grave violazione della legge morale, ed è quindi illecita'.

integritatem propriorum membrorum unicuique homini ab ipsa natura competit estque ius primum societatiq̄ue antecedens; quare nequit auctoritas publica talia iura directe frustrare vel directam potestatem super membra et facultates homines exercere.

Quod clare constat verbis Pii XI docentis quod publici magistratus 'corporis integritatem... directo laedere et attingere nec eugenicis nec ullis aliis de causis possunt unquam';⁷ responso S. Officii ad dubium: 'Quid sentiendum de theoria sic dicta eugenetica sive positiva sive negativa, deque inductis ab ea mediis ad humanam progeniem in melius provehendam, posthabitis legibus seu divinis seu naturalibus seu ecclesiasticis ad matrimonium singulorum spectantibus', cui S. Officium respondit: 'Eam esse omnino improbandam et habendam pro falsa et damnata, ut in Encyclicis Litteris sub die 31 dec. 1930',⁸ necnon doctrina Pii XII, iuxta quam publica auctoritas nullo pollet iure sterilizationis directae ob indicationes eugenicis in innocentes procurandae.⁹

Praeterea sic dicta sterilizatio eugenetica haud est remedium conveniens. Homini enim integra perfectio seu perfectio, ut aiunt, speciei non est bonum quod solum pendeat a sterilizatione hominum vitiosorum. Quod non solum theologi sed etiam prominentes quidam medici et sociologi testantur; nam ex infirmis non necessario procreantur infirmi, neque solum ex infirmis parentibus infirmi generantur.

(iii) Quod attinet punitivae sterilizationis licentiam, theologi in diversas abeunt sententias. Quidam enim, ut Peinador,¹⁰ adhuc tenent eam a publica auctoritate in poenam licite posse infligi, dum plures alii, inter quos Noldin-Schmitt,¹¹ e contra eius licentiam verius denegant, eo quod sterilizatio punitiva nec correctiva, nec preventiva, nec retributiva vera sit, qua de causa essentiales poenae fines minime attingat.

(B) Sterilizatio indirecta licita evadit dummodo peragatur cum personae sterilizandae consensu atque necessaria vel saltem valde utilis

⁷ *Litt. Enc. 'Casti Connubii'* (31 dec. 1930); AAS 22 (1930), 565.

⁸ Die 21 Mart. 1931; AAS 23 (1931), 118.

⁹ Cf. *Allocut. ad Obstetrices*, l.c. 'Anche l'autorità pubblica non ha alcun diritto, sotto pretesto di qualsiasi 'indicazione', di permetterla (sc. sterilizationem directam), e molto meno di prescriverla o di farla eseguire a danno di innocenti. Cf. etiam *Alloc. eiusdem Pii XII ad Psychopathologos* (14 Sept. 1952); AAS 44 (1952), 787.

¹⁰ Cf. *Brevior Cursus Theologiae Moralis*, tom. II, vol. II (Madrid, 1954), n. 369.

¹¹ Cf. *Summa Theologiae Moralis* (ed. 26a), vol. II, n. 328. Haec altera sententia contra licentiam praevalet apud permultos modernos moralistas; cf. Mc Hugh-Callan, *Moral Theology*, l.c.

ducatur corporis sanitati quae nequeat adeo efficaciter restitui alio remedio cui adnexus non sit effectus malus ac in se vitandus qualis sit impotentia generandi. Agitur hic de principio totalitatis, quod ita enuntiatur a S. Thoma: 'Cum membrum aliquod sit pars totius humani corporis, est propter totum, sicut imperfectum propter perfectum. Unde disponendum est de membro humani corporis secundum quod expedit toti. Membrum autem humani corporis per se quidem utile est ad bonum totius corporis; per accidens tamen contingere potest quod sit nocivum; puta cum membrum putridum est totius corporis corruptivum... tunc licitum est de voluntate eius cuius membrum est, putridum membrum praescindere propter salutem totius corporis. Et eadem ratio est, si fiat voluntate eius ad quem pertinet curare de salute eius qui habet membrum corruptivum'.¹² Quod, cum interventibus in systemate generativo applicatur, complendum est, sicut animadvertit J.T. O'Donnell, altero principio duplicis effectus, iuxta quod, propter iustam ac proportionatam causam licita est actio ex qua duplex sequitur effectus, alter bonus et directe intentus (sc. effectus therapeuticus seu restitutio sanitatis), alter malus, non intentus sed praevius et mere permissus (sc. effectus contraceptivus seu impotentia generandi), modo effectus bonus non solum mediante effectu malo obtineatur.¹³

Confirmatur doctrina Pii XII. 'Per sterilizationem directam', aiebat Summus Pontifex, 'Nos intendebamus designare actionem eius qui sibi proponit, tamquam finem vel tamquam medium, reddere procreationem impossibilem. Attamen hanc vocem Nos non applicamus omni actioni quae, de facto, procreationem efficit impossibilem', cuius ratio est quod homo, de facto, non semper habet intentionem faciendi id quod e propria sequitur actione, etsi illud praeviderit. Quibus positis, ad quaesitum: num liceat ovulationem impedire per pilulas adhibitae uti remedium contra nimias reactiones uteri et organismi, quamvis talia medicamenta quae ovulationem impediunt, fecundationem faciant impossibilem necnon num talis actio permittatur mulieri coniugatae quae, sterilitate temporanea non obstante, velit in relationibus sexualibus cum marito perserverare Papa respondit solutionem ab ipsa personae intentione pendere. 'Si mulier', pergit Pius XII, 'illam medicinam sumit, non ob finem conceptionis impediendae, sed unice ex medici consilio tamquam remedium necessarium ob morbum uteri vel organismi, ea provocat sterilizationem

¹² *Summa Theolog.*, II-II, q. 65, a. 1.

¹³ Cf. *Morals in Medicine*, l.c.

indirectam, quae licita est ex principio actionum cum duplici effectu'.¹⁴

Animadvertendum est, tamen, sterilizationem indirectam, deficiente causa sufficiente, graviter peccaminosam esse, cum omnis sterilizatio notabilis mutilatio censeri debeat, praecise quod hominem magni momenti functione privat.

Ad III. In casu impeditio ovulationis ope radiorum a Röntgen nuncupatorum, si revera efficax, idque unicum, remedium existit ad sanitatem physicam Annae restituendam, licita est tum ex parte medici illud remedium consulentis, tum ex parte mulieris curam indicatam subeuntis, tum ex parte radiologi dictos radios ovariis applicantis.

Agitur enim de *sterilizatione indirecta* et quidem ob causam iustam atque proportionatam, nempe bonum physicae salutis, quod Anna, uti in facti specie declaratum est, directe intendit.

Expeditet forsitan, sicut quidam animadvertunt theologi, ut Anna, priusquam sese processui therapeutico submittat, alterius saltem medici periti de re, ad se certiozem reddendam, consilium capiat.¹⁵

Quodsi Anna gaudet se consequenter a molestiis graviditatis et puerperii liberatum iri, non est ideo de peccato arguenda. Ipsa enim non de re mala, seu sterilitate, gaudet sed de eius effectibus in se bonis et licitis. Si enim gaudium de praeservatione a molestiis graviditatis et puerperii derivante ex praxi onanistica mariti, cui uxor materialiter tantum cooperatur, non est peccaminosum,¹⁶ pari seu potiori ratione peccato vacat gaudium de effectu sterilizationis indirectae licitae.

C. MUSCAT

¹⁴ *Alloc. ad eos qui interfuerunt Conventui VII Internationali Hematologiae* (12 Sept. 1958); AAS 50 (1958), 734-735: 'Par stérilisation directe, Nous intendions désigner l'action de qui se propose, comme but ou comme moyen, de rendre impossible la procréation; mais Nous n'appliquons pas ce terme à toute action, qui rend impossible en fait la procréation... Si la femme prend ce médicament, non pas en vue d'empêcher la conception, mais uniquement sur avis du médecin, comme un remède nécessaire à cause d'une maladie de l'utérus ou de l'organisme, elle provoque une stérilisation *indirecte*, qui reste permise selon le principe général des actions à double effet'.

¹⁵ Cf. Tanquerey, *Synopsis Theologiae Moralis et Pastoralis* (ed. 12a), tom. III, n. 249 (B).

¹⁶ Cf. Noldin-Schmitt, *De Sexto Praecepto et Usu Matrimonii* (ed. 31a), n. 74.